

exacta ratio, et utrum cum capsâ sacristiæ correspondeat, reddi valeat.

Dicitur autem notanter regularibus honorum capacibus: quia cum fratres minores exactam rationem de elemosyna exigere non valeant, nec capsam pecuniariam in sacristia habere possunt, aut debeant, juxta dicta ab ista appositione quantitatis elemosynariæ immunes sunt. Ignoscat quæso benevolus lector prolixam hanc, et simplicem de modo observandi Bullam Innocentii XII discussionem, cum enim ipsimet viderimus, et experti simus, in pluribus conventibus ac monasteriis dari quoad observantiam hujus Bullæ maximas difficultates et dubia; ex neglecta autem ejusdem observantia corruptelas, abusus, negligentias, et errores non modicos, ac insuper sedes Romana observantiam illius strictissime, et non obstantibus quibuscunque præcipiat, eamque superiores generales identidem per visitatores inculcent, et sub pœna certarum nullitatum urgeant, prolixius, et simplicius simulque practice de ea scribere, utile duximus, ut quivis etiam simplex sacerdos necessariam notitiam habere valeat. Subjicio autem cuncta meliori aliorum judicio, et aliter ac perfectius in hac materia instrui cupio jam redeundo ad priorem nostram materiam.

215. *Doctrina practica ad propositum.* — Quæritur V. An, et quando committatur simonia in exercitio potestatis, et jurisdictionis ecclesiasticæ? Resp. Quicumque actum aliquem ordinis, vel potestatis et jurisdictionis spiritualis pro pretio temporali exercet, simoniam committit. Communis ac certa, claris Juribus, c. *Non satis*, 8, c. *Cum in Ecclesiæ*, 9, c. *Cum sit Romana*, 10, c. *Nemo*, 14, c. *Ad nostram*, 21, h. t., cum Concordant. Ratio patet, quia jurisdictio et potestas ecclesiastica est quid vere spirituale, consequenter pro ejus administratione pretium temporale exigere simoniacum est.

Inferitur, simoniam committere sequentes. I. Omnes, qui pro pretio temporali dispensationem impertiuntur in præceptis Ecclesiæ, v. g. jejunandi, non laborandi in die festivo, nuptias non celebrandi diebus vetitis. Item qui pretium recipiunt pro aliis dispensationibus, v. g. super votis, juramentis, impedimentis matrimonii, ætate canonica, interstitiis, irregularitate.

II. Illos, qui pro foro interno, sive externo absolvunt a censura ecclesiastica.

III. Parochos, vel alios curatos, qui pro pretio temporali assistunt matrimonio, nisi res temporalis detur, aut exigatur ut fructus stolæ.

IV. Illos, qui pro pretio alii, etiam pro unico actu relinquunt, aut committunt jus eligendi, præsentandi, confirmandi, aut instituendi, aut instituendi ad beneficia.

V. Qui conferunt officium, aut potestatem spirituales, v. g. constituunt vicarium generalem, aut officialem pro pretio, quod tanquam simoniacum specialiter etiam declaratur c. *Ad nostram*, 21, et c. *Consulare*, 38, h. t.

216. *Quare Romæ pro dispensationibus dari absque simonia, vel exigi possit temporale?* — Dices. quotidiana experientia constat, in Curia Romana, sciente et non contradicente, imo approbante Pontifice pro dispensationibus exigi, et recipi taxas temporales, et quidem eo majores, quo difficilior censetur dispensatio: ergo saltem non est simonia pro dispensationibus exigere, aut recipere temporalia. Resp. præfatas taxas non exigi tanquam pretium dispensationis, sed vel dari ut stipendia in sustentationem summi Pontificis, et officialium, et ad onera status pontificii sustentanda, quod juri divino et naturali conforme est, juxta dicta, n. 185 et 186. Vel pecuniæ illæ exiguntur per modum mulctæ, idque tum ex eo, ut per hujusmodi mulctam aliquantulum compensentur recessus a jure communi (siquidem cupienti, ut sibi concedatur exemptio a lege communi, licitum est, atque rationabile imponere aliud onus, quo compenset illam deformitatem, jejunandi v. g. vel elargiendo pecuniam in pias causas). Tum ex eo, ut sollicitatio dispensationum, quæ cæteroquin est odiosa, ac vulnus juris, reddatur difficilior, sicque restringatur nimia eas petendi copia: ob quam causam etiam fieri poterit, ut quo difficilior est dispensatio, eo major pecuniæ quantitas exigatur per modum mulctæ. Zozius, h. t., num. 24. Pirhing, h. t., n. 49, post Suarez, Lessium et alios, ex quibus nonnulli alias adhuc allegant causas; verum datæ sunt principales.

217. *Episcopi pro dispensationibus temporale quid accipere non possunt; nec valet in contrarium consuetudo.* — Instabis: Ergo etiam episcopi, et alii potestatem dispensandi: vel aliam jurisdictionem spirituales exercendi habentes, ex præfatis titulis vel causis temporale exigere poterunt. Resp.

Negando consequentiam, quia hoc eis specialiter prohibitum est a sacrosanctis canonibus, et concilio Tridentino, sess. 22, de *Reform.*, cap. v, sess. 24, de *Reform.*, cap. v, sess. 25, de *Reform.*, cap. xviii. In quibus Papa quidem, non idem prælati Papa inferiores dispensare possunt. Et quamvis Sanchez, de *Matrim.*, lib. VIII, disp. 35, n. 11. Solas, et alii velint, posse episcopos pro labore, quem habent in executione dispensationum matrimonialium a Sede Apostolica sibi commissarum, exigere aliquid temporale, ubi ita exigendi viget consuetudo legitime præscripta, tamen merito id negant alii cum Garzia, de *Benefic.*, p. 8, cap. 1, a num. 102, suamque negativam probant tum ex concilio Tridentino, loc. cit., tum ex variis declarationibus cardinalium apud Garziam, loc. cit., in quibus specialiter derogatur consuetudinibus quibuscunque, etiam immemorabilibus.

218. *Simonia est, pro orationibus, aut aliis bonis operibus exigere temporale per modum pretii.* — Quæritur VI. An, et quando committatur simonia, si pro precibus, aut orationibus, vel pro virtutis exercitio, aut alio bono opere supernaturali exigatur, aut detur temporale? Resp. I. Quamvis temporale per modum pretii pacisci, aut exigere pro orationibus, vel aliis piis exercitiis spiritualibus, simoniacum sit, tamen simonia caret, si per modum stipendii ad honestam sustentationem exigatur ab iis, qui ad orationem hujusmodi ex officio non tenentur, vel si tenentur, sufficientes ad sustentationem redditus non habent, vel si habent, sunt tamen in loco, ubi ita exigere consuetudo legitime præscripta, aut publica auctoritas adest. Prima pars est unanimes et certa, arg. c. *Cum in Ecclesiæ*, 9, c. *Suam*, 29, cum concordantiis. Ratio patet, quia cum orationes, et virtutum exercitia sint quid spirituale, pretium pro illis exigere, procul dubio simoniacum est, per dicta.

219. *Non idem per modum stipendii.* — Secunda pars, quod per modum stipendii temporale pro illis exigere, simoniacum non sit in casibus allegatis, docetur a Suarez, lib. IV, cap. xv, n. 5. Gutierrez, can. qq., lib. I, cap. xxix. Palao, de *Simonia*, disp. 3, punct. 9, n. 1, et aliis communiter. Patetque ex dictis, a n. 185 et 187, quia non est major ratio de illis, quam his rebus spiritualibus.

220. *Nec, si fiunt sub specie obtinendi tem-*

porale, vel e contra. — Resp. II. Pariter simonia caret, dare, aut præstare temporale sub spe obtinendi orationes, aut alia opera spiritualia, vel e contra, orationes alicui offerre, aut pro illo perficere spe obtinendi ab eo temporale. Itæ omnes illi, qui docent, posse absque simonia dari temporale sub spe obtinendi spirituale, aut e contra, quos, sicut et fundamenta juris, ac rationis, vide supra a num. 87. Quibus accedit verbum, et exemplum Dei nostri, qui in Scriptura sacra passim offert temporalia bona, ut ad bona opera, orationes, et sacramenta legum observantiam nos alliciat: et nos quoque bona opera exercemus, ut bona temporalia a Deo obtineamus. Confirmatur consuetudine universali inter homines, qua constat, plurimos dare religiosis, et aliis pauperibus elemosynam spe obtinendi ab eis orationes, et pia opera: et e contra religiosos offerre sæcularibus suas preces, et suffragia, spe obtinendi ab eis temporalia. Hinc inter errores Wicleff. damnatos a concilio Constantiensi fuit etiam ille: « Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis, in temporalibus subvenientibus.

221. *Res sacratæ et benedictæ absque simonia vendi aut mutari pro re temporali possunt.* — Quæritur VII. An, et quando committatur simonia venditione, aut commutatione rerum sacrarum, seu sacratarum, vel benedictarum? Ante responsionem notandum, per res sacras seu sacratas hic intelligi illas, quæ in se temporales, certis Ecclesiæ benedictionibus, precibus, exorcismis, etc., benedicuntur, consecrantur, sicque aliquo modo sacræ ac spirituales, seu potius spiritualibus annexæ evadunt, et vocantur. Cujusmodi sunt calices consecrati, benedicta numismata, cruces, agnus Dei, ceræ, vestes, item et vasa benedicta, aqua, panis, sal, oleum, et alia quævis benedicta, et consecrata. Huc reducuntur, et spiritualibus annexa dicuntur illa temporalia, in quibus tanquam ornamentis et receptaculis res spirituales continentur, ut reliquiaria, etc.

Resp. I. Supradictæ omnes, et aliæ hujusmodi res consecratæ, aut benedictæ absque vitio simoniæ vendi, aut pro alia re temporali commutari possunt; dummodo ratione spiritualitatis, seu benedictionis, et consecrationis, seu ex eo, quod sint benedictæ, sacratæ, etc., non plus detur, aut exigatur, quam res illa temporalis independenter a benedictione valet; et dummodo

alias illius rei venditio, vel permutatio jure positivo prohibita non sit. Ita cum D. Thoma, 2, 2, q. 100, a. 4, ad 1, 2, 3. Navarrus, cap. xxiii, n. 108. Pirhing, h. t., n. 77, et hodie communis contra nonnullos antiquos canonistas. Ratio est, quia res temporales, et materiales per benedictionem, et consecrationem accedentem non amittunt suum valorem, vel æstimationem temporalem, quam prius habebant.

222. Nec obstat celebris ille, can. *Si quis objecerit*, 7, cau. 1, q. 3, ubi inquit Papa: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Resp. enim, hunc canonem non loqui de rebus benedictionem, seu consecrationem antecedentibus, seu ante illam prius jam existentibus, quales sunt præfata, calix v. g. vasa ecclesiastica, etc., sed de illis, quæ ly spirituale consequuntur, illudque tanquam principale præsupponunt, quod dein ipsæ tanquam accessorium sequuntur, et adhærent; uti est jus percipiendi redditus temporales; hoc enim præsupponit officium, munus, vel dignitatem spiritualem, eamque primum sequitur, vel ex eo provenit juxta illud c. fin. *de Rescript. beneficium* (id est jus percipiendi redditus) *datur propter Officium.* Et hanc responsionem doctores cum Glossa in cit. can. *Si quis objecerit*, §. *Sed res desumunt, ex correcto canone desumunt*, in quo loco verborum: « Nam cum corporalis Ecclesie aut episcopus legitur: Nam cum Ecclesie corporalis episcopus vel abbas. » De cujus proin ecclesie episcopali, vel abbati dignitate, officio, etc., ac de re temporali jure videlicet percipiendi redditus, officium, vel dignitatem consequente, merito dicitur in cit. can. *Si quis objecerit: Quisquis alterum vendit, sine quo nec alterum provenit* (id est prodest) *neutrum invenditum derelinquit*; hoc ipso, quod officium seu dignitas illa spiritualis sine redditibus non proficiat et subsistere nequeat, et hæc ab illa nullatenus separari valeat.

Vel, si incorrectæ litteræ quis insistere velit, dicat cum Valent., tom. III, disp. 16, p. 2, § fin. textum illum loqui de rebus illis consecratis, a quibus consecratio amplius separari nequit, id est Ecclesia, quatenus Ecclesia, de qua proin bene dici potest, quod sine altero vendi non valeat.

223. *Dummodo plus non detur, quam temporale seu materiale in illis valet.* — Dicitur autem notanter in conclusione, n. 221, po-

sita: « Dummodo ratione benedictionis, aut consecrationis non plus detur, quam res secundum se valet: » hoc enim si sit, simoniam committi, omnes concedunt, hoc ipso, quod illud plus temporale pro spirituali, consequenter simoniace detur. Ubi tamen notandum cum Engel, h. t., n. 17, non esse simoniam, si res consecrata, aut benedicta, vel indulgentiis donata, qualia sunt v. g. cruce Hispaniæ, item rosaria Terræ sanctæ indulgentiam habentia carius, ac secundum materiam valent, vendunt, propter sumptus et expensas, quas in iis asportandis fecit, et labores itineris, quos subit vendens illas res; quia, cum isti sint pretio æstimabiles, utique in contractum venire possunt.

224. *Et specialis prohibitio Ecclesie non obstat.* — Dicitur ulterius et alias illius venditio jure positivo prohibita non sit: sicut enim ex motivo religionis, et sub peccato simoniæ prohiberi potest a jure venditio similia, ita, ubi prohibet, servandum est, uti exemplum habemus de chrismate, c. *Ea quæ*, 16, h. t.

225. *Debent tamen prius ita tractari, ut benedictionem censeantur amittere.* — Porro advertunt doctores n. 221 citati, et alii, quod dum etiam licite hujusmodi res consecrata, v. g. calix, vestis, vendatur ad usum profanum, ante traditionem prius contringi, conflari, dissui, vel alias ita tractari debeant, ut consecrationem amittant, arg. l. *Sancimus*, 21, et Auth. *Præterea*, c. *de Sacrosancta eccles.*

226. *Licitum est, rem spiritualem pro spirituali commutare, excepta materia beneficiaria.* — Resp. II. Commutare rem spiritualem pro spirituali non est simonia excepta materia beneficiaria; dummodo ratione spiritualis plus temporale commutando non detur, Pirhing, h. t. tr. IV, resolut. 150; Layman, lib. IV, tract. X, cap. ult. *de Simonia*, n. 2; Suarez, lib. IV, *de Simonia*, cap. xxx, n. 5, arg. c. *Ad questiones, de Rerum permut.* juncta Glossa ibid. §. *Per se queant.* Ratio est, quia nec jure divino, nec humano id prohibitum reperitur.

Neque in contrarium militant canones, quibus universaliter prohibetur omnis pactionio circa spiritualia. Resp. enim, canones hos loqui de illis pactionibus, in quibus datur temporale pro spirituali, aut e contra. Suarez, lib. IV, *de Simonia*, cap. xxxi, n. 20; Pirhing, h. t. n. 124.

Dicitur autem notanter excepta materia

beneficiaria, in hac enim permutationem privata auctoritate fieri absque simonia juris ecclesiastici non posse, dictum est supra arg. c. *Quæsitum*, 5, c. *Olim*, 7, *de Rerum permutat.*

227. *Doctrina practica ad propositum.* — Intertur, non esse simoniam, commutare reliquarium pro reliquario, aut rosario habente indulgentias, aut pro alia re sacra. E contra vero, esse simoniam, si prædictorum aliqua, aut alia re sacra, vel benedicta habente indulgentias intuitu spiritualitatis datur res profana majoris pretii et valoris, quam sit res consecrata et benedicta, secundum esse materiale. Pariter committitur simonia, si in permutatione duarum rerum consecratarum aut benedictarum res una consecrata, quæ secundum esse materiale majoris censetur valoris, pro alia re consecrata, quæ secundum materiam est minoris valoris datur ex eo, quod hæc sit, vel censetur magis sacrata, aut majores habent indulgentias, etc. Ratio est, quia in tali casu ille excessus majoris valoris temporalis revera datur pro re spiritualis, ut consideranti patet. (ADNOTATIONES IX et X.)

§ XI.

DE PŒNIS SIMONIÆ.

228. *Pœnarum gravitas plures arcet a malis, quam timor Dei.* — Quoniam plures pœnarum gravitas, quam Dei timor arcere solet a voluntate peccandi, ut dicitur Extravag. *Cum detestabile*, h. t. Hinc Ecclesia ad eliminandum perniciosissimum sibi crimen simoniæ varias, easque graves contra illud constituit pœnas, quas videre licet tum in cit. Extravag. tum in hoc titulo passim. De quibus proin in præsentibus §.

229. *Propter solam simoniam in susceptione ordinum, vel ingressu in religionem, vel beneficiis ecclesiasticis commissam incurruntur pœnæ.* — Quæritur I. An ob quamvis simoniam incurrantur juris pœnæ? Resp. I. Pœnæ in jure contra simoniacos statuta non ob quamlibet, sed ob eam solam simoniam ipso jure et facto incurruntur, quæ committitur vel in susceptione ordinum, vel religionis ingressu, vel beneficiis ecclesiasticis. Navarrus, in *Manual.* cap. xxiii, n. 111, § 6 et § 7; Palao, *de Simonia*, punc. 21, n. 2; Suarez, lib. IV, cap. lv, n. 5; Sylvester, §. *Simonia*, q. 49; Lessius, lib. II,

cap. xxxv, dub. 23, n. 120; Layman, lib. IV, tr. X, cap. viii, n. 69; Pirhing, h. t. n. 154, et alii communiter. Ratio est, quia nec in novo, nec in antiquo jure reperitur aliquis textus imponens simoniæ pœnam, nisi simonia committatur in uno præfatorum, religionis videlicet ingressu, ordinum susceptione, et beneficiis ecclesiasticis; ergo ad nullam aliam simoniam pœnas extendere debemus; nam odia restringi, et favores convenit ampliari, c. *Odia*, 15, *de Reg. jur.* in 6. Et in pœnis benignior est interpretatio facienda, c. in *Pœnis*, 49, eod.

230. *Et quidem ipso facto.* — Quod autem propter prædictas tres species simoniæ incurrantur pœnæ juris ipso facto, præter c. *Reperiuntur*, 1, q. 1, et quosdam alios canones, quide excommunicatione loquantur, habetur clarissime in Extravag. *Sane*, et Extravag. *Cum detestabile*, h. t. inter communes, ubi committentes simoniam in ingressu religionis, in ordinibus, aut beneficiis ipso facto excommunicantur, aliisque pœnis subjiciuntur.

231. *Solvitur obiectio.* — Concordat Bulla B. Pii V, *Cum primum* (et habetur in Bullario Romano ordine 5) in qua contra dictas tres simoniæ species tantummodo pœnæ ipso jure infliguntur, aliæ autem simoniæ sacramentales per locorum ordinarios puniri jubentur.

232. Nec obstat, quod Paulus II in Extravag. *Cum detestabile*, h. t. Omnes et singulas excommunicationes, suspensiones, censuras et pœnas, dudum a Romanis Pontificibus contra simoniacos quomodolibet latas, et eorum quemlibet tam manifestum, quam occultum, quas ipso facto eos incurrere voluit, innovaverit, etc. Ex quibus verbis, ne superflua forent, videtur inferendum contra primam partem responsionis, omnes pœnas juris contra simoniacos, quæ olim erant ferendæ sententiæ, nunc ipso facto incurrunt. Resp. enim negando seq. quia (ut patet ex verbis mox sequentibus, et sub eodem verborum contextu prolatis, innovantes declaramus, quod omnes illi qui simoniace ordinati fuerint) ibi est sermo de simonia in ordinibus contenta, quam una cum simonia in religione et beneficiis commissa magis punire voluit Summi Pontifices propter majus detrimentum, quod inde universali Ecclesie bono intertur.

233. Nec tamen superflua prædicta verba. Nam iisdem facta est extensio pœna-